

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Pauli Apostoli Ad Philippenses Paraphrasis Per Des. Erasmum
Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

IN
 EPISTOLAM PAULI APOSTOLI
 AD PHILIPPENSES
 PARAPHRASIS
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

1 **P**aulus ac Timotheus in evangelica functione colle-
 gae ac servi Iesu Christi, toti coetui sanctorum, Iesu
 Christi nomen integre pureque profitentium, simulque
2 his, qui christiano gregi praesident, ac ministrant Phi-
3 lippis. Optamus vobis gratiam et pacem a Deo patre
4 nostro, et domino Iesu Christo. Ego sane quoties
5 precibus Deum interpello, id autem facio indefinen-
 ter, nunquam non facio vestri omnium mentionem, si-
 mul et gratias agens, et magnopere gaudens vestro
6 omnium nomine, quod haecenus ab initio vestrae pro-
 fessionis ad hunc usque diem, me vestris officiis ac be-
 nignitate sublevando, vos ipsos consortes praestiteritis
 evangelio, precorque assidue, ut istis virtutibus magis
 ac magis abundetis, confidens fore ut Deus, qui ista
 pietatis exordia vobis donavit, quod coepit in vobis,
7 perficiat usque ad illum diem, quo adventurus est
 Christus Iesus, praemium aeternum repensurus recte
 factis. Par enim est, ut ita sentiam de vobis, fretus

auxilio divino, quum hactenus expertus sim constantem
 ac vere evangelicam erga me caritatem, ut facile sit
 ex optimis initiis finem optimum colligere. Quas ob
 res sic animus meus est affectus erga vos, ut in his et-
 iam vinculis, et apud Neronis tribunal, ubi mihi capi-
 tis reo dicenda fuit causa, reliquisque afflictionibus,
 quibus non minuitur aut obscuratur, sed confirmatur
 et illustratur evangelii vigor, semper vos prosequutus
 sim singulari benevolentia, quod huius gaudii, quo
 gaudeo, per meam calamitatem inclarescere Christi
 praeconium, vos omnes semper habuerim participes.
 Novit enim Deus ipse, quem nihil omnino latet, quan- 8
 to teneat omnium vestri desiderio, non affectu quo-
 quam humano, sive quod captem aliquid a vobis, sive
 quod blandiar vobis ob vestram in me benignitatem,
 sed affectu pure christiano sic amo vos, non ob aliud,
 nisi quod video, Iesum Christum a vobis constanter ac
 sinceriter diligi. Gratulor vobis illius munera, pre- 9
 corque, ut ista vestra caritas magis ac magis exuberet,
 accedente omni cognitione, omnique intelligentia, ut
 sciatis, in quos debeatis officia caritatis collocare. Ca-
 ritas enim hoc praestat, ut velitis benefacere, pruden-
 tia demonstrat beneficentiae materiam idoneam. Quid-
 quid autem ob amorem Christi confertur in evangelii
 praecones et proVectores, rectissime collocatur, multo
 cum foenore ad vos rediturum. Utrumque igitur ut 10
 in vobis semper augeat opto, quo probare possitis,
 quid sit optimum factu, sitisque puro affectu, praeter
 Christum nihil spectantes, et evangelicam professionem
 sic ornantes integritate vitae, ut nulli sitis offendiculo,
 sed omnes potius allecietis ad cultum Dei, atque ita
 perseveretis usque ad diem adventus Christi, ut tum 11
 appareatis divites ac abundantes piis operibus, quo-
 rum hic interim veluti sementem facitis, tunc fructum
 uberrimum demessuri. Idque beneficio Iesu Christi,
 nec ad vestram meamque gloriam, sed ad gloriam lau-

demque Dei, ad quem ceu fontem omnium bonorum
 12 referenda sunt omnia. Porro quo magis etiam fitis
 gaudii mei participes, scire vos volo fratres, carce-
 rem, compedes, tribunalia, caeterasque calamitates,
 13 quae mihi acciderunt ob evangelium Christi, adeo non
 officisse propagandae confirmandaeque doctrinae evan-
 gelicae, ut potius in profectum cesserint, et adeo non
 deterruisse credentes a suscepta professione, ut magis
 etiam confirmarint, roburque et animum addiderint,
 nimirum intelligentibus indubitatum esse, quod prae-
 dico, cuius gratia non dubitem haec perpeti, seseque
 meo exemplo ad similia audenda provocantibus. Nam
 id fere solet usu venire rebus honestis ac praeclaris, ut
 quo magis premuntur et affliguntur, hoc magis inva-
 lescant emicentque, malorum conatu in diversum
 14 exeunte. Siquidem vincula mea dederunt occasionem,
 ut evangelii praeconium non solum ad paucos, eosque
 plebeios, quemadmodum antea, pervenerit, verum
 etiam per omnem Neronis regiam, perque urbem uni-
 versam inclaruerit, adeo ut complures ex fratribus,
 qui antea subtimide profitebantur evangelicam doctri-
 nam, nunc, domino Iesu negotium hoc ita temperante,
 animati vinculis meis, coeperint et ipsi meo exemplo
 sermonem evangelicum liberius ac fortius, omni trepi-
 15 datione posita, profiteri. Id quamquam ab omnibus
 factum non est pari sinceritate, quemadmodum pari
 studio, tamen res per occasionem cessit in evangelii
 16 gloriam. Nam erant inter hos, qui hoc malitioso stu-
 dio facerent, quo mihi conflarent atrociorum invidiam,
 ac Neronis animum hoc acrius in nos exacerbarent,
 quo latius videret hanc sectam propagari, quam
 per errorem ille iudicat imperio suo perniciosam, exi-
 stimantes futurum, ut tanto celerius me tolleret e me-
 dio. Fortasse nonnulli meae gloriae invidentes, quam
 ego tamen mihi non vindico, sed totam Christo refi-
 gno, conati sunt aemulatione meam laudem obscurare,
 17 si nostrum studium etiam vincere viderentur. Rursus

sunt in his, qui mecum praedicant Christum bono sinceroque animo, licet imperfecto. Nam humano favore mihi nolunt deesse, quem amant, et vident ob hoc periclitari, quod constanter obeam mihi delegatum munus evangelii tuendi adversus impios. Quamquam et qui pessimo animo praedicant, tamen auxerunt evangelii gloriam. Christum enim annuntiant, sed animo minime christiano, nec affectu simplici, sed hoc agentes, ut capto vincloque addant afflictionem, si evangelium acrius defendendo, nos in gravius odium pertraxerint. Ea res utcumque cedet mihi, non¹⁸ magni retulerit, modo verterit in gloriam Christi, cui sic toto pectore faveo, ut gaudeam illum per omnem occasionem omnibus innotescere. Amplissimam laudem merentur apud Deum, qui eodem animo praedicant evangelium, quo ego praedico. Ferendi sunt, qui privato quodam amore nostri, iuvant evangelii partes. Caeterum qui in odium mei praedicant Christum, quod sibi nocent, doleo, quod mihi male moliuntur, contemno, quod illorum perversa voluntas cedit in gloriam evangelii, gaudeo, modo vere doceant Christum, licet animo insincero, neque gaudeo solum in praesentia, verum etiam in posterum gavifurus sum, si pergant odio mei divulgare Christi doctrinam. Non me¹⁹ movet, quod ista moliuntur in perniciem meam, quum sciam rem praesidio precum vestrarum, atque auxiliante et negotium hoc moderante spiritu Iesu Christi, mihi futuram saluti, sive moriar, sive vixero. Neque²⁰ enim me fallat mea de illo fiducia, qua mihi persuasissimum habeo fore, ut in praedicatione evangelii, quod ille delegavit, (*) nusquam sim destituendus, aut pudesciendus, ut ullis afflictionibus cogar ceu vanum retractare, vel obticescere, quod verissimum esse cognovi, quin potius quemadmodum antehac afflictiones, quas iuxta corpus ab hominibus perpeffus sum, cesse-

Qq 3

(*) *Aliae: declaravit*

runt in lucrum evangelii, sive quum lapidarer, sive quum virgis caederer, sive quum bestiis obiicerer: Ita et haec afflictio, qua de capite vitaque periclitor, cessura est in laudem et gloriam Christi, seu vivere continget, seu mori. Nam ut superiores afflictionum procellae, licet corpusculum hoc afficerent, animum tamen nunquam ademerunt, aut constantiam praedicandi Christum labefactarunt: Ita neque nunc haec tempe-

21stas adimet. Si dabitur vivere, fortiter tuebor evangelicam veritatem, si continget mori, mors ipsa mea, quam ob evangelii negotium non invitus suscipiam, illustrabit Christi gloriam. Utrumcumque continget, mihi in tuto est mea incolumitas. Et hanc mortem adeo non formido, ut magis optandum existimem, si sic expediat evangelio. Neque enim me taedet huius vitae quamlibet afflictæ, cuius felicitatem omnem metior evangelii successu, neque mortem horreo, quæ mihi lucro futura sit, quæ me reddet praemio coele-

22sti, tum demum vere victurum. Quamquam et haec interim vita corporalis non caret suo fructu, dum accumulandis piis factis, accumulatur et praemium immortalitatis. Atque interim nostro labore propagatur ac confirmatur evangelium Christi. Huic in manu est, utrum me vivere malit, an mori. Ego sic ad utrumque paratus sum, ut utrum potius eligam, ignorem.

23Est cur optem mortem. Est cur non recusem vivere. Verum ubi mei ipsius commodi ratione subducta meum animum consulo, video mihi longe potius esse, liberatum ab huius vitae aerumnis, propius iungi Christo, et ad illam ineffabilem felicitatem mihi, quum in tertium coelum raptus essem, utcumque gustatam redire.

24Rursum ubi reputo, quid vestris expediat commodis, intelligo conducere, imo necessarium esse, ut adhuc ali-

25quamdiu verfer in hoc munere meo. Atque hoc certum scio, fore ut maneam adhuc in hac vita, et ita maneam, ut vobis omnibus aliquando sim fruiturus,

meique facturus copiam, quo simul et vos uberius proficiatis in fide, et ego copiosius de fidei vestrae gaudere incremento, vosque vicissim magis etiam de me²⁶ gaudere possitis, posteaquam ad vos me recepero, de-
 nuo conspicientes me praesidio Christi, non modo non cessasse his malis, sed servatum etiam vestris augendis commodis. Videtis quantam felicitatem meam vestro lucro posthabeam. Quis non tertii coeli cupidus fastidiat huius vitae curas? Quis non paradisi superioris desiderio gestiat ab his malis evolare? Quis non verborum arcanorum memor, humana negligat alloquia? Quis non pro tot exitiis, tot periculis, tot mortibus eligat tranquillam immortalitatem? Sed tantum apud me valet fraterna caritas, ut aliorum profectum meo desiderio praeponam. Quo magis erit vobis eniten-²⁷
 dum, ut huic animo meo respondeatis. Id autem fiet, si curabitis, ut vestra vita digna videatur evangelio Christi, ob quod haec cuncta perpetior, ne hoc ipso fructu frustrer, ob quem unum sustineo distrahi ab optatissimo consortio Christi. Proinde date operam, ut five vos invisero, tales reperiam, quales opto, five quid obstiterit, quo minus revisam vos, tamen absens audiam de vobis, quod quemadmodum haecenus fecistis, persistatis uno spiritu, quem hausistis communem, eodemque animo concordem, simulque vestris officiis ac precibus adiuvantes decertantem adversus impios evangelii fidem, nec ullo persecutionum metu terreamini,²⁸
 quo minus fortiter ubique resistatis adversariis Christi, quorum improbitas nihil aliud efficiet, nisi ut et ipsis pariat exitium, et vobis salutem, semper in maius gliscente evangelii gloria, et illorum impiis conatibus in peius usque prolabantibus. Pulcherrimum est pro Christo perpeti, gloriosum per hunc vincere adversarios. Verum hinc nihil est, quod nobis vindicemus. A Deo²⁹
 vobis hoc donatum est, ut non solum promte credideritis evangelio Christi, quod ego praedico, verum et-

iam parati sitis pro illo pati, videlicet meum exemplum sequuti, neque detrectetis pro evangelii negotio certamen idem subire, quale et olim vidistis in me, tot modis afflictio, quum isthic agerem, et nunc audistis de me victo, capitique reo. Haec casu non fiunt, sed a Deo propitio donantur iis duntaxat, quorum pietatem vult afflictionibus huius vitae reddi spectatiorem.

CAPUT II.

- 1** Proinde si qua consolatio est inter illos mutua, qui in eundem Christum conspirarunt, si quod est solatium, quod habet fraterna caritas, quae tristitia pariter ac laeta facit communia, si quam vim habet Christi spiritus, omnibus vobis communis, si qui sunt affectus, quibus in afflictionibus amicorum tanguntur homines, si quae sunt commiserationes, quibus ipso naturae sensu ingemiscimus, aut indolescimus malis eorum, quos ex animo diligimus, quique nostra causa perpetiuntur, per haec
- 2** omnia vos obtestor, o Philippenses, ut hanc voluptatem, quam ex vestro profectu concepi, mihi perficiatis. Quidquid quocumque nomine mihi debetis, acceptum feram, si vos concordibus animis conglutimini, si mutua sit inter vos omnes caritas, si sitis unanimes, si consentientes. Non potest pax concordiaeque constare inter feroces et elatos. Siquidem ferox ac tumidus animus parit contentionem, parit ambitionem, parit iracundiam. Atqui haec caritatis fraternae mutuaeque benevolentiae praesentanea sunt venena.
- 3** Ne quid igitur inter vos Christi spiritu conglutinatos, Christi que philosophiam profitentes, geratur per contentionem, aut inanem gloriam, ut alius alium provocet ferocia, dum nemo vult alteri cedere, quibus ex rebus inter mundi discipulos oriuntur iurgia, rixae, dissidia. Ne sint igitur vobis in consilio ira, aut am-

bitio, aut superbia, consultores pessimi, sed potius
fraterna caritas, et huius comes, animi modestia, qua
nemo se praeferat alteri, sed quisque alterum se prae-
stantiorem existimet, sibi nihil arrogans, aliorum do-
tibus benigne candideque favens. Neque suum quis- 4
quam privatum spectet commodum, quod ubi fit, ibi
publica concordia periclitatur, sed quisque per christia-
nam caritatem, quae non quaerit quae sua sunt, suis com-
modis anteponat aliena. Neque vero cuiquam vestrum 5
in mentem veniat impia cogitatio, cur prudens ac
sciens ultro cedam melior deteriori? Ne pudeat vos
Iesu Christi exemplum sequi. Cur enim non convenit
vos, qui pares estis et consortes, sic inter vos affectos
esse, quemadmodum ille affectus fuit erga nos? Si il-
le sibi vindicavit primatum, si sua captavit commoda,
fit et inter vos decora pro rebus hisce contentio. At- 6
qui ille quum natura Deus esset, atque ipsis factis se
Deum esse declararet, dum mortuos nutu reddit vitae,
dum vertit elementa rerum, dum daemonibus imper-
rat, dum verbo pellit quoslibet morbos: Tamen quo
nobis perfectae modestiae pararet exemplum, non sibi
per inanem gloriam vindicavit, ut haberetur aequalis
Deo, sed humiliavit ac deiecit semetipsum apud ho-
mines, a patre expectans gloriam, ad quam demon-
stravit aditum esse, non per ambitionem, sed per hu-
militatem. Et adeo se deiecit, quum esset summus, ut 7
non solum velut homo versatus sit inter homines, dor-
mituriens, sitiens, esuriens, lassescens, pauper, reli-
quisque nostrae conditionis iniuriis obnoxius, verum
etiam servi speciem in se susceperit, et servi nocentis,
quum ipsa esset innocentia. Quid? An non mali servi
est, capi, alligari, caedi flagris, conspui? Atqui non 8
ad hoc tantum sese demisit, verum etiam usque ad sup-
plicium mortis ceu facinorosus descendit, ac mortem
longe probrosissimam crucis. Sic visum erat patri, ut
ille haec pro nostris commissis dependeret, isque vo-

lens obedientem se praestitit per omnia, nihil detrectans quod ad nostram salutem conduceret. Qui mundano sunt affectu, per ambitionem contentionemque, cum aliorum iniuria grassantur ad falsam gloriam. At christianus, qui veram et aeternam gloriam quaerit, hac via debet ad illam contendere, qua Christus ingressus est. Per falsam ignominiam iter est ad veram gloriam, per momentaria dispendia aditus est ad immortalia compendia. Gloriam captare non oportet, sed promereri. Vultis audire, quid meruit humilitas Iesu Christi? Ille quidem non usurpavit sibi apud homines, ut iactaret ante tempus maiestatem suam (*), sed Deus pater evexit filium suum in summam sublimitatem, ac per humilitatem et ignominiam crucis illustrato largitus est nomen, quod excellit omnem humanam gloriam, ni-

9 mirum ut iam ad Iesu illius consputi et crucifixi nomen sese flectat ac submittat omne genu, non solum quidquid est in terris, verum etiam quidquid est vel

10 apud inferos, vel apud superos in coelis, nec ulla sit usquam lingua, sive hominum, sive angelorum, sive daemonum, quae non confiteatur Iesum omnium rerum principem ac dominum, a dextris assidere Deo patri, ut regni communis gloriaeque omnis consortem, idque in gloriam Dei patris, a quo proficiscitur, et in quem redundat omnis filii gloria. Quae mortalium ambitio, quae opes, quod regnum, quod studium humanum unquam talem cuiquam paravit gloriam apud homines, qualem Christo sua paravit humilitas? Atque haec omnia nostra causa fecit, non sua. Nec enim ille meruit deiici, nec eguit illustrari, quo magis vobis est similis adhibenda modestia, sine qua non possitis esse

12 incolumes. Proinde fratres mei dilecti, hac quoque parte pergite vestri similes esse, ut quemadmodum ad exemplum Christi, semper obedistis evangelio nostro, ita et in posterum faciatis, non solum quum erimus praesentes, sed multo magis nunc, quum ab-

(*) Aliae substituunt: ut quod esset, exhiberet

sumus, eam curam, quam ipse praesens vobis impensurus essem, in vos ipsos transferentes. Agite negotium vestrae salutis, non osecitantes, sed cum omni sollicitudine ac tremore, non ignari quanta de re certetur, et quibus cum hostibus vobis res sit. Non est dormitationi aut securitati locus, sed rursus non est quod diffidatis. Vestrum erit pro viribus adniti. De-¹³ us autem est is, qui hoc agit in vobis, ut quod ad salutem pertinet, et velitis et perficiatis quod animi bona voluntas vobis suggerit, ne nesciatis cui tribuendum sit, si quid illa vobis suggererit. Curandum est¹⁴ vobis, ut vestris moribus commendetis evangelii doctrinam, iis quoque qui ab illa sunt alieni. Id futurum est, si conspexerint vos esse summa concordia, parique fiducia, et quidquid agitis, id fieri sine murmure, sine disceptationibus, quorum alterum est, non ex animo facientium quod faciunt, alterum est diffidentium. Sed magis in omnibus sinceri sitis, ac moribus¹⁵ adeo puris et inculpatis, ut nemo iure de vobis queri possit, utque cunctis perspicuum sit, vos esse vere filios Dei, non nothos aut adulterinos, sed patrem coelestem coelesti vita referentes, qui sic interim vitam agatis in medio nationis asperae, tortuosae et infimerae, ut nulla tamen ex parte vestra vitietur sinceritas, quin potius inter horum tenebras, innocentia vitae sic luceatis, veluti mundi luminaria quaedam, oculis omnium exposita. Vos enim estis illi, de quibus in evangelio dixit Christus: Estis lux mundi, qui in edito lu-¹⁶ stinetis vivificum evangelii sermonem, ipsis etiam moribus Christi doctrinam exprimentes, ut confidam vobis perseverantibus me quoque gloriaturum in adventu Christi, me non frustra laborasse, nec inaniter in hoc evangelii stadio cucurrisse, qui tales discipulos Christo lucrifecerim. Et adeo me non poenitet labo-¹⁷ rum meorum, per quos vos obtuli Deo gratissimam victimam, ut etiamsi ipse immoler super hostiam sacri-

ficiumque fidei vestrae, et meo pariter et vestro omni-
 um nomine sim gavisurus; vestro, quos ad evange-
 lium conversos gratissimam victimam obtulerim Christo;
 meo, qui peracto tali sacrificio, sim et ipse totus im-
 molandus. Nam quemadmodum video meas afflictio-
 nes cessisse in profectum vestrum, ita scio mortem me-
 am evangelio profecturam, atque hac de causa mors
 18 quoque mihi grata veniet. Quod si decet vos in omni-
 bus consortes esse gaudii mei, non debet mea mors vo-
 19 bis esse moerori, quae mihi est futura iucunda. Habc-
 tis quo nomine de meo statu debeatis gaudere, sed spe-
 ro fore, favente domino Iesu, ut vos brevi per Timo-
 theum invisam, quandoquidem ipsi mihi venire non-
 dum licet. Hunc igitur velut alterum me mittam, ut
 quemadmodum cognito statu meo nunc gaudetis, ita
 et ego gaudeam per Timotheum huc reversum, cogni-
 20 to statu vestro. Nam hic mihi potissimum visus est ido-
 neus ad hanc legationem, quum nemo sit caeterorum,
 qui in evangelii negotio sic aequet animum meum,
 quique in curandis vestris negotiis, fidem ac diligen-
 tiam Paulinam magis ex animo sit repraesentaturus,
 21 utpote quem merito pro filio germano habeam. Sunt
 quorum ministerio minore dispendio poteram hic care-
 re, sed nolui quemquam mittere, nisi probatae inte-
 gritatis, nam caeteri fere venantur huiusmodi legatio-
 nes, non perinde ut aliis profint, atque ut suis lucris
 consulant potius, quam Iesu Christi, a quo animo sci-
 22 tis me semper abhorruisse. Non arbitror opus, ut
 eum vobis commendem, quippe iam pridem vobis spe-
 ctatum ipsa re, qui meminisse potestis, quomodo se
 gesserit mecum in evangelii negotio, meque ceu pa-
 23 trem germanus filius per omnia retulerit. Hunc igi-
 24 tur, ut spero, mittam, simulatque videro quo se defle-
 25 ctant res meae, quin et illud fore confido, propitio
 domino, ut et ipse propediem ad vos veniam. Insu-
 per autem et hoc sum arbitratus operae pretium, ut et

Epaphroditus Timotheo comes iret ad vos, mihi quidem et frater, et collega et commilito, vobis autem apostolus, ut vobis et meo et vestro ipsorum nomine debeat esse commendatus, denique qui vestram benignitatem, qua soletis necessitati meae subvenire, ad me detulit. Is iam pridem ingenti desiderio tenebatur ^{vi-26}visendi vos, anxius animi, ne vos gravius discrucia-
 ret, quod audisset ipsum aegrotasse periculose. Nec ^{va-27}vanus fuit ille rumor, sic enim aegrotavit, ut de vita periclitaretur, morti vicinus. Sed Deus illum restituit, misertus famuli sui, imo non illius tantum, sed et mei, qui simul cum periclitante periclitabar, ne ad dolorem, quem mihi morbus illius adferebat, accederet ex morte tam fidi commilitonis desiderium. Quo magis ²⁸mihi studio fuit, illum ad vos mittere, primum ut eius conspectus vobis sit voluptati, ubi videritis illum revalluisse, fortasse famae non perinde credituri, deinde ut mihi quoque dolor omnis abstergeatur ex animo, si sensero vos de illius valetudine certo gaudere gaudio. Ex-²⁹cipite igitur illum affectu christiano, cum omni gaudio, nec hunc tantum, sed omnes huius similes habete in pretio. Siquidem huc a vobis missus adeo non ³⁰veritus est saevitiam Neronis, quem sciebat infensum mihi, ut ob evangelium Christi eo periculi se demiserit, ut morti proximus fuerit, prius habens profectum evangelicae doctrinae, quam suam incolumitatem, quo videlicet pensaret id, quod ob absentiam vestro erga me officio videbatur deesse, ac per illum mihi quodammodo fieretis praesentes, qui et vestram munificentiam ad me pertulerit, et suis officiis inservierit periclitanti, ut unus quodammodo vos omnes mihi referret.

CAPUT III.

Superest igitur fratres, ut cognitis his, quae hic fiunt, ¹et reddito vobis Epaphrodito incolumi, laeto fitis ani-

mo, ac neglectis afflictionibus, quibus mundus nos exercuit, gaudeatis, semper in melius provehi negotium domini nostri Iesu Christi, cui non perinde metuo ab ethnicis, qui palam impugnant evangelium, atque ab istis semichristianis, qui sic Christum praedicant, ut Iudaismum interim admisceant. Hac de re vos pro mea sollicitudine frequenter admonui, sed tamen non gravabor eadem inculcare literis, quo magis

2 fitis in tuto. Nam adversus istos, qui nusquam non insidiantur, vix unquam satis cautum est, pestilens, improbum, et impudens hominum genus. Invident libertati vestrae, oblatrant doctrinae sincerae, mordent alienam vitam, laborant in evangelico negotio, sed sic, ut corrumpant, iactitant sese de pellicula praeputii praecisa, quum mentem habeant incircumcisam. Cave te fratres, ne vobis imponant, observate canes huiusmodi, observate malos operarios, observate incircumcisos circumcisos, imo concisos verius. Praeter causam isti sese venditant, corpore circumferentes foedam suae nobi-

3 litatis notam, quum animo sint impuro impioque. Si gloriosa est circumcisio, nos vere sumus circumcisi, nos vere Judaei, nos germani Abrahae filii, qui Deum colimus non pecudum sanguine, sed spiritu, sic enim ille coli gaudet, qui gloriamur non in pellicula corporis, non in Mose, sed in Christo Iesu, qui suo spiritu refecit omnia vitia ab animis nostris, qui cordibus nostris notam pulcherrimam impressit, quo constat nos esse filios Dei. Haec demum est vera gloriosaque circumcisio. Deus posthac non aestimat hominem ex habitu corporis.

4 At isti neglecta mentis cura, totam fiduciam collocant in carne, in qua, si gloriandum sit, ego sane nec hac parte cuiquam istorum cesserō, ne quid habeant quod causentur, mihi vilem esse circum-

5 cisionem ob id, quia non habeam. Si quis alius hoc nomine sibi placet, ego magis etiam mihi possim placere, nimirum legitime circumcisos octavo die, iuxta

legis praescriptum. Israelita non infitione, sed genere, non profelytus, sed Judaeus ex Judaeis oriundus, nec e quavis tribu, verum e praecipua, nempe Benjamin, quae semper iuncta fuit tribui Judae, unde reges et levitae, unde et sacerdotes constituuntur, quum plerique se putent Israelitas, quod e concubinis Israelitarum ducant genus. Hebraeus ex Hebraeis iuxta genus, iuxta legis sectas pharisaeus, cuius ordinis semper fuit prima dignitas. Quod si libeat quemquam ex huius legis studio atque observatione aestimare, nec his in rebus habent, in quo se mihi praeferant. Nam patriae legis tantum me habebat studium, ut ob eam tuendam modis omnibus persequerer ecclesiam Christi, adeo tenax eorum, quae lex praescribit, ut nihil esset, in quo merito culpari possem tanquam praevaricator. Quod si quid ista praeclarum haberent, iustius gloriari poteram, quam isti, qui se semideos videri volunt, quod praeputatio careant. Ac tum quidem temporis, quoniam nondum eram edoctus Christum, pulchre mihi videbar felix et nobilitate generis, et dignitate generis, et dignitate sectae, et observatione legis. Sed ubi per evangelium Christi didici, quibus in rebus fita fit vera iustitia, atque his typis et umbris mosaicae legis cognovi res longe praeclariores denotari: Mox quae prius ut vehementer expetenda sectabar, abieci reliquique, damnosum esse ducens, quidquid vel tantillum a Christi doctrina remoraretur; non quod legem damnem, si quis ut oportet utatur, sed quod tantum tribuam evangelio Iesu Christi domini mei, ut huius excellenti cognitioni, non solum posthabeam legem mosaicam carnalem, qua gloriantur isti, verum etiam quidquid usquam mundus hic praeclarum habet aut suspiciendum, pro dispendio mihi fit. Hanc igitur simul atque gustare coepi, nullum est ullius rei lucrum, quantumvis praeclarae, (*) quod non pro damno, imo quod non pro rudere ducam, aut si quid rudere contem-

(*) Aliae: *praeclare*

rius, modo huius dispendio mihi liceat lucrifacere Christum, fontem bonorum omnium, quae vere bona sunt.

9 Pro nihilo habeo meam iustitiam, cuius opinionem mihi vindicabat apud homines mosaicae legis observatio, modo mihi contingat vera iustitia, quam meam non possum appellare, quum haud quaquam paretur nostris meritis, sed gratis detur iis, qui sibi diffisi, simpliciter fidunt Christo. Nascitur et ex lege iustitia

10 quaedam, sed inefficax ad praestandam salutem. Verum ea, quae datur a Deo, sic nostra non est, ut tamen nobis conferat veram salutem, si modo credentes evangelio, per fidem cognoscamus Iesum Christum, cuius nativitas mirabilior est, quam ut ulla mortali sapientia possit intelligi, cuius resurrectionis vis maior est, quam ut ullis humanis argumentis queat persuaderi. Sola fides haec nobis persuadere potest, et adeo persuasit, ut spe promissorum fretus, gaudeam venire in consortium afflictionum illius, vicissim pro illius evangelio vinctus ac moriens, quemadmo-

11 dum ille pro nobis caesus est et crucifixus, si quo modo mihi contingat, ut sicut mortem illius imitor, ita perveniam ad resurrectionis gloriam, per illum resuscitatus. Haec certissima spes me consolatur in his afflictionibus, quod fidam Christi promissis, qui regni sui consortium pollicitus est iis, qui non detrectarint

12 crucis consortium. Neque haec dixerim, velut in meritum sit, ut tantum assequar praemium. Nondum mihi perventum est ad metam cursus, nondum assequutus sum brabeum, nondum perfectum est certamen, sed tamen huc omnibus nervis adnitor, ut quod sequor assequar. Neque enim quomodocumque currenti contingit praemium, sed acriter instanti, sed constanter adlaboranti. Bona spes est me apprehensurum, quando in hoc ipsum reprehensus sum a Christo, atque e medio cursu, quem olim male institueram adversus illius ecclesiam, retractus, ut in evangelico stadio bene

currens

currens, mererer brabeum immortalitatis, ne vos prae-
 mii promissi fiducia segnes reddat ac male securos.
 Fratres, ipse nondum arbitror, me assequutum quod am-¹³
 bio, quodque spero. Maximum est quod sequor, non
 temere quis assequitur. Scio veracem esse Christum,
 sed humanae naturae fragilitas ac mutabilitas me non-
 dum sinit esse securum. Proinde magna quidem spe,
 rebus omnibus posthabitis, unum illud ago, ut in cur-
 su evangelico, velut oblitus eorum, quae a tergo reli-
 da sunt, toto nisu ferar in ea, quae restant a fronte.
 Neque rursus temere quovis feror, dispendium enim¹⁴
 facit, qui male currit, sed recta tendo ad metam evan-
 gelicam nobis praefixam, et ad praemium immortali-
 tatis, ad quod Deus agonotheta noster, e coelis spe-
 ctans conatum nostrum, nos vocat, opitulante Christo
 Iesu. Proinde qui legem admiscunt evangelio, quid
 aliud quam cursum nostrum student remorari? Quot¹⁵
 quot igitur perfecti sumus, ita simus affecti, ut praeter
 evangelicum scopum nihil nobis proponamus. Quod
 si qui sunt inter vos aliquanto infirmiores, qui patriam
 legem, cui assueverunt, non omnino possint conte-
 mnere, ferantur, donec et ipsi proficiant. Vobis revela-
 vit Deus, legis praesidiis nequaquam esse opus, for-
 tasse futurum est, ut illis quoque revelet idem. At in-¹⁶
 terim sane cursum eum, quem iam coepimus, iuxta re-
 gulam praescriptam pergamus. Et in hoc certe simus
 concordēs, ne patiamur nos ab instituto retrahi, sed
 pro sua quisque virili properemus ad praemium immor-
 talitatis. Sunt qui rectum cursum non teneant, eos¹⁷
 sequi tutum non sit. Me potius imitemini recta pro-
 perantem ad evangelii brabea, et observate eos, quos
 videritis ad nostrum exemplar incedere. Christus opti-
 mam formam nobis exhibuit, ad hanc me videtis eo-
 dem conniti, quo pervenit ille. Non omnes, qui cur-¹⁸
 runt in hoc stadio, praemium consequuntur. Neque
 vobis tutum sit quovis praecurrentes sequi. Sunt enim

complures, de quibus et antea saepenumero loquutus
 sum vobis, et nunc rursus cum lachrymis dico, sic
 Christum praedicantes, ut interim inimici sint crucis
 Christi. Nolunt enim imitari vitam ac mortem illius,
 ut cum illo vivant in aeternum, sed ad quaestum et
 gloriam suam, pro vera pietate docent iudaicas obser-
 vatiunculas, circumcisionem praepatii, ciborum dele-
 ctum, discrimina dierum, ut his aliis oneratis, ipsi
 interim regnent ac suaviter vivant, perinde quasi post
 hanc vitam non expectent aliam. Sed ab horum mo-
 19 ribus finis illorum nos deterreat. Nam quemadmo-
 dum per infamiam humanam tendimus ad aeternam
 gloriam, et per temporarias afflictiones connitimur ad
 immortalem felicitatem: Ita illi per momentarias volu-
 ptates adiscunt sibi sempiternum exitium, ventrem
 habentes loco Dei, qui non poterit eis succurrere, et
 per fucatam apud homines gloriam, quam collocant
 non in Christo, sed in rebus pudendis, festinant ad
 aeternam ignominiam. Nam temporarium ac fucatum
 est, quidquid terrenum est, verum atque aeternum,
 quidquid coeleste. At isti nihil aliud curant, quam ter-
 restria. In his gloriam, in his voluptatem, in his opes
 suas collocant, multum aberrantes a scopo evangelico.
 20 Caeterum nos, qui Christum vere sequimur, licet cor-
 poribus detineamur in terris, tamen animis in coelis
 vivimus, illuc assidue suspirantes, quo praecessit caput
 nostrum, unde et per fidem expectamus dominum no-
 21 strum Iesum Christum, qui resuscitatis mortuis palam
 exhibebit ea, quae pollicetur interim, transformaturus
 hoc corpusculum humile et omnibus iniuriis obnoxium,
 ac simile redditurus corpori suo glorioso, quo nimi-
 rum membra, quae fuerunt hic afflictionum illius con-
 sortia, illic vocentur in consortium felicitatis. Nec
 istud videbitur cuiquam incredibile, qui perpenderit
 vim illius, per quem res geretur. Nihil est enim, quod
 ille praestare non possit, cui in manu est, ubi libuerit,

sibi subiicere omnia. Eam potentiam tum aperiet omnibus, quamvis interim saepenumero dissimulet.

CAPUT IV.

TAntarum igitur rerum spe fulti, fratres mei dilecti **1**
 ac desiderabiles, quorum successum, gaudium meum
 esse duco, quorum victoriam, meam coronam esse iu-
 dico, quemadmodum coepistis, ita persistite, neque
 finatis vos defleci a Christo Iesu. Iterum atque iterum
 mihi dilecti fratres, Evodiam obsecro, ac separatim **2**
 Sintychen obsecro, ut concordibus animis sint in pro-
 movendo Christi evangelio. Quin et te rogo, vera ger- **3**
 manaque coniunx, mecum in evangelii negotio consen-
 tiens, ut istis mulieribus adsis, quae participes fuere
 laborum ac periculorum meorum in evangelio, una cum
 Clemente, simulque cum reliquis, qui mihi fuerunt in
 evangelio cooperarii, quorum nomina quid attinet a
 me referri, quum scripta sint in libro vitae, nunquam
 abolenda? Ibi scripta sunt omnium nomina, quicum-
 que suis officiis adiuvant rem evangelicam, quorum
 de numero estis et vos. Has ob res gaudete semper, **4**
 etiam in mediis afflictionibus. Iterum atque iterum iu- **5**
 beo vos laeto esse animo, quantumvis saeviat in vos
 improborum iniquitas, tamen vestra aequitas vestra-
 que moderatio nota sit et spectata cunctis mortalibus,
 non solum fratribus, verum etiam alienis a Christo,
 quo citius vestra bonitate provocati pelliceantur ad
 evangelii consortium. Lenitas enim morum conciliat
 ac frangit etiam impios. Ne velitis illos ulcisci, neve
 illis suas delicias invideatis. Instat enim adventus
 Christi, qui et vobis pro spretis huius mundi commo-
 dis largietur immortalitatem, et illi suae dementiae

Rr 2

- 6 poenas luent. Vos in diem vivite, nulla de re solliciti, tantum illud agentes, ut ille adveniens vos offendat paratos, ab illo pendete totis animis. Quod si qua re fuerit opus, ne fidite mundi praefidiis, sed Deum assiduis precibus interpellate, illi votis ardentibus significantes, si quid postulatis, illi gratias agentes, quidquid evenerit, seu prosperum, seu adversum, certi fore, ut per illum et adversa vobis reddantur prospera. Novit ille quidem, etiamsi nihil postulatis, quid vobis sit conducibile, sed tamen amat huiusmodi legationibus appellari, amat piis votis sollicitari, ac
- 7 velut cogi. Sic enim fiet, ut pax qua conciliati estis Deo, res felicior quam ut humana mens queat percipere, muniat corda vestra atque animus vestros adversus omnia, quae hic possunt incidere formidanda. Quid enim metuat, qui se norit Deo carum esse per Christum Iesum? Ut igitur harum rerum, quibus vel blanditur, vel terret hic mundus, cura vacuos vos volo, ita
- 8 totis animis advigilandum est, ut virtutibus ditescatis, quae vos Deo commendent. Itaque quaecumque sunt vera, et a furo abhorrentia, quaecumque decora atque honesta, dignaque his, qui res humiles atque ineptas detestantur, quaecumque ad alendam concordiam accommoda, quaecumque bonam famam conciliant, si qua virtus, si qua laus virtutis comes, haec vobis curae et cordi sint, haec vestris animis obversentur, haec, inquam, atque his similia, quae pridem et didicistis, et accepistis a nobis, nec audistis tantum ex
- 9 me, sed etiam vidistis in me; non enim docui vos, quod ipse non praestiterim, haec eadem igitur non solum memineritis, verum etiam praestetis et ipsi nos imitantes. Haec agentibus aderit Deus auctor pacis,
- 10 cui non convenit, nisi cum virtutum cultoribus. Porro voluptati non mediocri fuit animo meo, quod solitus ille vestrae caritatis affectus erga me, iam aliquamdiu intermissus, aliquando reviguit, ac veluti reffloruit.

Imo non fuit intermissus affectus, sed quum is esset sui similis, deerat vobis opportunitas mittendi quae volebatis. Proinde gaudeo non perinde commodo meo, ac vestra caritate, qua gaudeo vos Deo dignos reddi. Neque enim admodum me movet, meae penuriae vestra liberalitate subventum esse. Nam harum rerum rudis non sum aut insolens, imo multo iam usu ad horum malorum patientiam occallui. Didici praesente fortuna, quaecumque ea fuerit, contentus esse. Novi vel inter pauperculos humilis et pauper esse, novi et inter divites excellere. Si deest, contraho me, si superest, effundo in aliorum usus, et magnificum largitorem ago. Egestas tutior est, abundantia benignior. Ad omnem locum, ad omne tempus, ad omnem occasionem memet accommodare novi, sic ad utramque fortunam factus et edoctus. Nec me corrumpit saturitas, si adsit rerum copia, nec me deiicit esuries, si desit quod edatur. Nec elatum reddit opulentia, si quid obvenerit supra necessitatem, nec exanimat inopia, si minus est, quam postulet usus vitae. Cur enim haec moveant animum meum, qui compedes et flagra contemno evangelii gratia? Nihil est horum, quod non perpetiar infracto animo, confirmante et corroborante me Iesu Christo, cuius praesidio fortis sum, quum ex me ipso sim nihil. Neque vero haec dixerim, quod vestram munificentiam habeam contemtui. Imo vehementer laudo pietatem vestram, qui vosmet inferueritis in societatem afflictionum mearum, praemiorum quoque participes apud Deum futuri. Amplector spontaneam animi vestri promptitudinem. Nam ipse non soleo quidquam istorum officiorum a quocumque flagitare. Estis enim et ipsi testes, Philipenses, quum primum in finitimis regionibus praedica-rem evangelium Christi, et e Macedonia discederem, nullam ecclesiam mihi communicasse, certe quod attinet ad rationem dandi atque accipiendi. Nec enim

illi dedere quidquam, nec ego studebam accipere. Vos
soli ultro detulistis, non solum quum apud vos agerem,
16 verum etiam quum essem Thessalonicae, semel at-
que iterum misistis absenti, quae putabatis mihi
esse opus. Ditior erat Thessalonica, sed vobis
17 animus erat benignior. Non illos incuso, sed ve-
stro profectui gratulor, vestro lucro gaudeo potius,
quam meo. Nam ingens lucrum facit, quisquis ob
evangelium Christi rem minuit temporariam, et
alienas opes cum veris et aeternis opibus commu-
tat. Ipse non requiro munus, sed requiro fructum,
qui vobis accrescit ex ista munificentia prompta et
ultronea. Paululum decrescit rationibus vestris pe-
cuniariis, nonnihil acciditur censui domestico, sed
plurimum accedit rationibus coelestium praemio-
18 rum. Et tamen quod ad me quoque pertinet, non
est quod doleatis, parum gratam fuisse vestram be-
neficientiam. Recepi omnia, ac nunc vestra muni-
ficientia dives sum. Expletus sum iis, quae mihi
a vobis pertulit Epaphroditus, adeo copiose misi-
stis. Accepi autem non tanquam munus, ab ho-
minibus homini missum, sed tanquam hostiam Deo
gratissimam, cui nullus odor sacrificii gratior est,
quam spontaneum officium evangelicae caritatis.
19 Porro quemadmodum vos vestras fortunas atteritis,
ne quid mihi desit; Ita Deus meus vicissim sup-
pleat vobis, quidquid defecerit in hac vita. Quum
enim is opulentus sit, non finet, ut quidquam de-
sit usibus vestris, qui ob eius evangelium paupere-
scitis. Hoc ad ipsius et Christi gloriam pertinet.
20 Sit autem omnis gloria Deo patri nostro, seculis
21 aeternis, Amen. Salutate cunctos, qui iuxta Iesu
Christi doctrinam, sanctimoniam, vitaeque purita-
tem sectantur. Salvare vos iubent vicissim, qui
22 Romae mecum sunt Christum profitentes. Nec hi
solum, qui mecum habent consuetudinem interio-

rem, verum etiam cum caeteri omnes, tum praecipue qui ex Caesaris familia Christi doctrinam amplexi sunt, nec tam saevi principis dominique metu a Christi professione deterriti. Favor et benignitas domini nostri Iesu Christi semper adfit spiritui vestro, Amen.

PARAPHRASEOS

IN EPISTOLAM PAULI AD PHILIPPENSES

FINIS.



I N
 EPISTOLAM PAULI AD COLOSSENSES
 A R G U M E N T U M
 P E R
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM

Coloffenses in Asia minore sunt, finitimi Laodiceis. Hos non viderat apostolus. Nam Archippi, five quod addit Ambrosius, Epaphrae, quibus hoc delegatum erat, praedicatione conversi sunt ad Christum. His vehementer imminebant pseudapostoli, conantes in dogma multo perverfissimum inducere, docentes, filium Dei non esse salutis auctorem, sed per angelos viam patere ad patrem. Neque enim venisse filium Dei in hunc mundum, neque venturum, quum in veteri testamento per angelos administrata sint omnia. Deinde Judaismum et philosophiae superstitionem cum Christi doctrina miscebant, observantes quaedam legis instituta, et superstitione observantes solem, lunam, ac stellas, et elementa huius mundi, quibus docebant nos esse obnoxios. Hos igitur suae professionis commonefacit, ostendens, illos quidquid haecenus assequuti sunt, non angelis debere, sed Christo angelorum conditori, hunc unum esse caput ecclesiae, nec ab alio quoquam petendam salutem. Atque interim au-